



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendiolvm Vitæ Admirabilis Et Pretiosæ Mortis B.  
Rosæ De S. Maria Limensis Peruanæ, Tertii Ordinis S. P.  
Dominici à S. D. N. Clemente IX. Beatis Annumeratæ**

**González de Acuña, Antonio**

**Augustæ Vindellicorum, 1668**

Capvt XV. Rosæ fervidus amor, & cultus in divinam Eucharistiam pro qua  
ad Martyrum se accingit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44063**

toia, quæ sacrum Catharinæ simulachrum exor-  
naverat, Rosæ beneficio incolumis evasit ab i-  
gne sulphurato, qui oculum ipsius incurrerat,  
& resiliens incendit vestes alterius fœminæ,  
quam corripuit. Ipsiusmet Rosæ dexteram a-  
liquando horrenda arthriti invaserat, adeo ut  
intumuerit manus mirum in modum, nec digi-  
ti loco moveri possent. Ut verò Seraphicæ Ma-  
tri suæ festivum habitum solito cultu compo-  
neret digitos forficum ansulis immisit, cum id  
fieri præ tumore non posset, & alacritate mira  
gemmas, torques, monilia in ordinem distri-  
buit, attonitis adhæc Regio Quæstore, illius  
conjuge, & medicis, qui divinitus id contigisse  
professi sunt.

## CAPUT XV.

ROSÆ fervidus amor, & cultus  
in divinam Eucharistiam pro qua ad  
Martyrum se accingit.

**T**ER ut minimum in hebdomada divina  
Eucharistia reficiebatur, quinquies non ra-  
rò, & aliquando in singulos dies, præmittebat  
semper magno gemituum, & lachrymarum ap-  
paratu sacramentalem confessionem: pridie a-  
sperius cruentabat corpusculum flagellis, rigi-  
doque jejunio, & hospitio divino tam pretiosis  
ignitarum aspirationum odoribus cordis habi-  
taculum adornabat, ut si per totum vitæ spati-  
um

um illa tantum vice exceptura esset amantem Deum. At dum procumbebat ad Angelorum mensam adeò divini amoris igne flagrabat, ut facie præferret cordis incendium; hæc enim coruscabat adeò, ut Sacerdotibus terrorem incuteret: Cœlesti splendore sapissimè perfusa, Angelica non rarò forma, radios etiam emittens apparuit religiosis viris: & ipsa Virgo à Confessariis jussu indicare mirabiles effectus, quos in animo suo divinum hoc Sacramentum pariebat, in singulis verbis hæsitabat, causata vocabulorum inopiam; tamen, immigrare se quodammodo, dicebat, in suum Deum, & gaudio tam immenso recreari, ut profectò nulla jucunditas mortalis vitæ comparari posset illi, quam mammilla Regum, pretiosum hoc convivium suam secum quodammodo divinitatem partiebatur. Accedebat robur, & saturitas prodigiosa, adeo, ut, cum sæpè dum templum adiret ex pridianis jejunijs, flagris, ac vigiliis fessa in angiportis hæere cogeretur, divino refecta pabulo domum rediret alacri passu; præiret Matrem veluti si ambulandum sibi esset ad montem Oreb in fortitudine cibi illius. Ut verò corporis saturitatem à pastu Eucharistico acceperit, paruit domesticis; namque reversa domum ab epulo divino, recta festinabat ad secretum cubiculi, & ibi ad seram usque noctem inclusa perstabat in sponsi complexibus. & rogata cibum sumere pridiano exhausto jejunio, respon-

de-

debat: præ ingenti satietate à mensa Domini, alium se cibum admittere neutiquam posse, & aliquando per octo solidos dies altaris Sacramento pasta ab omni prorsus corporali alimonia, veluti Sancta Catharina Senensis, abstinuit. Tanta verò religione venerabatur hoc Sacramentum, tam ardentè amabat, ut quotiescunque illo recreanda erat, Missæque sacrificiis interesset omnibus à summo manè ad meridiem usque, ne vel ad momentum quidem oculos ab ara deflectens, aut supercilia unico nictu demittens, licet noti, ignoti que ante illam transferent, & ferè in oculos incurrerent. Cùm publica quadraginta horarum supplicatione adorabatur Sacramentum à populo, à manè ad vespèram usque inmotà prorsus hærebat innixa genibus Rosa, oblita prandij, nec aquæ una gutta resecta: sic per octo solemnes dies SS. Christi Corpori consecratos, sic ultimis quatuor annis, ubi feria quinta majoris hebdomadæ deduxerat ad monumentum Regem suum donec die parasceves ad tabernaculum transferretur nec noctu inde decedebat, affixa tumulo, toto viginti quatuor horarum decursu, nec sedere coram illo ausa, nec muro tantisper acclinari. Si cubi audisset ad divinum Corpus adorandum signa dari, cor, & caro illius exultabant in Deum vivum, & vividior in facie color accendebatur. Jucundissimum illi erat suis manibus aptare lintea, pallas, & quidquid textile ad sacram

Alta-

Altaris supellectilem spectat: pretiosos è filis sericis flores effingere, & in hæc opera conficienda, ne diurni laboris penso egestatem Matris fraudaret, noctis partem seponere. Denique pro Sanctissimæ Eucharistiæ mysterio vitam effundere prægestiit. Cùm Batavorum classis Peruvix littora popularetur, & ipsi jam Limensium portui immineret, imò etiam in arenam profuissè milites dicerentur, Rosa, cæteris exanimatis, mirum in modum exultans, in templo focias hortari cœpit ad subeundum pro religione martyrium, & facie rutilante, vestem, quæ longior in terram defluebat, alacriter præcidit cothurnos, exiit, ut in brevi hac veste magis expedita incurreret in hostes. Ex oculorum scintillis, ex impavidi vultus constantia, ex vivido tono vocis heroicæ animosa virago lænam induissè videbatur laceffens horam fatalem, & morti minitans pugnacissimè: Fervebat Virgini sanguis effundi avidus: cum auditum est, receptui Batavos cecinisse; & voto suo fraudata Rosa torqueri cœpit ardentiori siti martyrii, cujus amore faucia, dolebat, se non illis temporibus natam, quibus gliscebatur tyrannorum furor in Christianos, & sæpè cum gemitu dicebat familiari Matronæ: Utinam idonea ratio, & modus occurreret, adornandi fugam ad barbarorū provincias, & ibi sanguinem pro Christo fundendi.